



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Text

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

**E**Go Fabius, Dei & sacrae Sedis gratia Episcopus Netitonen-  
 sis ac Nuncius Apostolicus, omnibus & singulis chi-  
 rographo hoc notum atque testatum facio, me tum ius-  
 su Pontificis ac muneris mihi demandati intuitu, tum  
 propriae Deo dante voluntatis propensione, in Tractata Pacis  
 generalis inter Christianos Principes hac in Civitate sancien-  
 dae, nihil unquam praetermississe eorum, quae ad illam concili-  
 andam iusteque ac firmiter stabiliendam, conducere in Domi-  
 no visa sunt. Quoniam vero ex Evangelia doctrina haec iusti-  
 tiae regula est, ut, *qua sunt Caesaris reddantur Caesari, & qua sunt  
 Dei Deo*: (caeteris quae suorum sunt Principum satagentibus) ea mihi praecipue cura atque sollicitudo incubuit, ne, quae  
 Dei, quae Christi, quae Catholicae Religionis atque Ecclesiae  
 sunt, ob ullam hominum cupiditatem vel metum, quidquam  
 damni aut detrimenti acciperent, sed starent instar firmissimae  
 petrae, adversus quam infernales portas nunquam praevalituras  
 Dominus noster sua nobis promissione sancivit. Id denique tota  
 animi corporisque contentione haecenus egi, ut haud aliis Pactis  
 mortalium Principum arma quiescerent, quam, quae Deum Opt. Max.  
 ad graviora contra nos bella suscitanda, non irritarent. Quamobrem  
 si quando inter agendum cum Catholicorum Principum Ministris  
 proponi aliqua, five indicari, aut involvi audio, quae directe aut  
 indirecte Catholicae Religionis conservationi, dignitati, immunitati,  
 propagationi, & incremento, vel in minimo adversarentur, non  
 tantum omnem consensum, favorem, patientiam, conniventiam  
 denegavi; sed palam obstiti, aperte acriterque repugnavi, & omni  
 studio, quantum in me fuit, impedire, corrigere, & in melius  
 reformare conatus sum. Huc nempe spectabat solennis Protestatio  
 per me sapientius interposita: quod, si quae in Punctis sive  
 Articulis ibidem propositis aut proponendis essent aut continerentur,  
 quae salvo honore & jure Ecclesiae Ro-



manæ, ac cum integra Religionis Catholicæ dignitate ac Pietate, ad animos Christianorum Principum inter se componendos facerent, seu facere videntur, ea impugnare aut impedire nullatenus intenderem; si quæ verò quoquo modo facerent, aut facere possent, contra Romanam Ecclesiam & sanctam Religionem, eiqve aliquod præjudicium adferrent, illa extreme rejicerem, detestarer, damnarem, & pro invalidis nullis iniquis ac per non habentes potestatem attentatis, haberem ac declararem. Quam Protestationem præmissam, in quolibet actu vel conventu coràm me facto vel faciendo repetitam, omniumqve Tractatum initio, medio, fine, ac toties quoties oportuisset, replicatam haberi volui, intendi, edixiqve, omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma, quibus pro officij mei ratione & poteram & debebam. Quod Principum ac Statuum Catholicorum Ministri, cum quibus tantum egi, sive coràm sive per literas, ac Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Orator Aloysius Contarenus Eqves, qui plerumqve interfuit, testari possunt: ac latius ac specialius, si opus fuerit, loco & tempore congruis & opportunis, declarabitur. Insuper, ne contra Protestationes præmissas, ac subinde compluribus insinuatæ, vel sola mea præsentia postremis hisce Tractatibus ac Pacis conclusioni aliquid roboris aut assensus adjicere videretur; clara rursus & per se nota veritas est, quod subdlexerim me aliquoties, ac ejusdem Pacis subscriptioni noluerim interesse; inaudiens ac dolens, in plurimis ac gravissimis momentis eam Catholicæ Religionis fore damnosam.

Ideoque prioribus Protestationibus meis, modo iterum via ac jure quàm optimis, reproductis, de præsentis fortius in hære me profiteor, omnem etiam pulvisculum de pedibus excutiens, qui commune quidquam habere possit vel cum minimo præjudicio sacre Sedis & Catholicæ Religionis:

pro



NUNCII PONTIFICII.

950

pro qua, uti teneor, ita per Dei gratiam promptum me de-  
claro & exhibeo, ad vitam & sanguinem profundendum.

Ad quorum omnium & singulorum ampliorem diutur-  
nioremque notitiam atque evidentiam, apud absentes quo-  
que & posteros adstruendam, Testimonium hoc patens ac  
publicum extare volui, manu mea subscriptum, & majore meo  
sigillo munitum.

Datum Monasterii Westphalorum die 26 Octobr.  
1648.

*Fabius, Episcopus Neritonensis  
Nuncius Apostolicus.*

L. S.

Henricus Merinus  
Abbreviator.

Bbb 3

HER-